PARADISUS VOLUPTATIS

FRVCTIFERIS PLANTIS
EXVBERANS
AQVINATICIS
LYMPHIS
IRRIGVVS,
AMÆNITATE VERNALI
VENVSTVS,
SALVTIFERIS ARBORIBVS,
ID EST
Septem Sanctæ Ecclesiæ
SACRAMENTIS
PLANTATVS.

Anno à Plantatione Floris Nazaræni, 1678.

SVB TEMPVS CELEBRATIONIS
COMITIORVM PROVINCIALIVM
Prouinciæ Poloniæ Ord. Prædicatorũ
In Conuentu Cracouienſi SS. TRINITATIS.

CRACOVIÆ Typis Vniuerſitatis.

IN PROTOTYPON Diui IOANNIS CANTII, *REGNI POLONIÆ PATRONI,* & Insigne Vniuersitatis Crac: Celeberrimæ.



B. IOANNES CANTIVS *Polonus S. Th. in Vniuersitate Cracouiensi Doctor, Presbyter Secularis Romæ A.D. 1676.*

SArmatiæ Craciq; decus, lux fulgida, mundi
Cecropij, ac Lechico non tenebrosa Polo.
Est geminus fulgor lucis, geminata potestas,
Quâ Tu dum gaudes, Astra solumque beas.
Exponis Regum solijs, exponis & Aris
Diuos cum generas, quis neget esse Deam?
Deducuntque genus Tua Sceptra propagine Diûum
Hoc seruat terras illud at astra tenet.



PARADISO TERRESTRI,
ORBIS OCULO, POLONIÆ DECORI,
THESAURO VIRTUTUM, ÆRARIO MORUM,
MATRI AC MAGISTRÆ OMNIUM SCIENTIARUM,
PRÆDILECTÆ AMICÆ DOMINICANÆ PROSAPIÆ,
ALMÆ ACADEMIÆ CRACOVIENSI,
ILLIUS FLAMMEO CHERUBINO,

B. JOANNI CANTIO,
REGNI POLONIÆ PATRONO.
NEC NON
PERILLUSTRI ac MAGNIFICO DOMINO,
D. RECTORI,
Perillustribus, Clarissimis ac Excellentissimis Dominis,
D.D. Sac: Theol: I. V. Medicinæ, ac Philosophiæ Doctoribus, & Professoribus, Magistris ac Baccalaureis,
TOTIQUE UNIVERSITATI CRACOV: CELEBERRIMÆ.
Fr. MICHAEL PRZECŁAWSKI, Sacræ Theologiæ Studens Formalis, Ordinis Prædicatorum.
SUBMISSÈ OFFERT.



Rescere verni etiam temporis ad exordium deberet animus, nisi in Paradiso voluptatis enatus Aquinaticis Sapientiæ lymphis irrigatus vernos TIBI *dicaret fructus.* DECUS UNIVERSITATIS, *B. IOANNES CANTI,* MAGNIFICE DOMINE RECTOR, PERILLUSTRES, CLARISSIMI, EXCELLENTISSIMI DOMINI PATRONI *Am-*

PLISSIMI. Ea enim est humanarum mentium obligatio, vt nisi iustum beneficijs exsoluant gratitudinis tributum, ipsam videantur exuere humanitatem; vel solo Romanorum exemplo, Fontalia quotannis celebrantium. Offero fructus, non aurea poma Hespericis enata hortis, ad quæ peruigiles ducit excubias Draco: non Rosam illam ex vulnere veris pullulantem. Quia hîc est mens Paradisum fructifero Thesium decoratum germine PARADISO ACADEMICO consecrare. Et certè piaculum esset, cum ipsa tellus suos pandit fauores, meã intra fauentissimi cordis latibula degere gratitudinem, nisi ad venustissimas veris delitias publicam prodiret in lucem. Prorumpit illa, & grati pectoris prætergressa limites, IAGELLONICÆ PALLADIS conscendit theatrum; eò sereniori spectanda oculo, quò frequentiori magnorum virtute & Sapientiâ Virorum præsentatur in corona. Equidem intra vasti limites Orbis, nullus est angulus qui nominis ACADEMICI Celeberrimi non sentiat odorem, nulla mundi Plaga, quæ B. IOANNIS CANTII non sit perculsa famâ. Ex hoc ACADEMICO Fonte haurit vniuersus Orbis dulces scaturigentes lymphas, Haurit Ecclesia, haurit Respublica Polona, hauriunt vniuersi, & tamen accrescit non decrescit. Ex hoc ACADEMICO VIRIDARIO, fructiferos omnes capiunt odores. Ex hoc IAGELLONICO PARADISO, fluunt festino cursu amnes auream secum asportantes arenam. Non numero hîc innumeros Viros Sago & Togâ insignes, tot præclaris virtutum splendoribus illustres, quot sunt lucentia firmamenti sydera, tot sanctitate præditos, quot inæstimabiles inueniuntur gemmæ, tot viua in DEVM religione ardentes, quot pretiosæ terrarum margaritæ, quot fœcundæ sunt in littoribus conchæ, tot insigni Sapientia videre est ornatos, quot virentia arborum ornamenta, tot diuinos Platones, quot naturalia viuentia, tot ingeniosos Aristoteles, tot facundos Tullios, quot sunt vniuersi ornamenta. Ita sanè vt hæc omnia Orbis totus si nolit orbus oculo videri, prono ad nominis ACADEMICI venerationem stupeat animo. Tam fertili ergò IAGELLONICO PARADISO Aquinaticum offero PARADISVM. Suscipe ô Diue Lechici Orbis Patrone B. IOANNES CANTI hoc exile sat Theologicum munus, quod TVIS pedibus venerabundus dicat cliens, impetra Diuinarum Gratiarum fluenta sterile ingenium fœcundantiâ. Suscipe & Tu Magnifice Dñe RECTOR, hoc grati animi documẽtũ. Non respuatis, PERILLVSTRES CLARISSIMI, ac EXCELLENTISSIMI DOMINI PATRONI AMPLISSIMI, & TOTA VNIVERSITAS CRACOVIENSIS CELEBERRIMA, Cui ego dùm in ara gratitudinis, debitam lito hostiam venerationis, Matri meæ Dilectissimæ ACADEMIÆ, cuius filius vbera suxi, omnia secunda in secula perennia, nullis aduersantibus fatis ex intimo corde medullitùs precor, & dùm externa de manu mea, submissionis signa sumitis, internum meum, & Totius Religionis meæ pensate affectum. PARADISVM hunc ACADEMICVM procul fugiant callidi serpentes formâ humanitatis laruati, quinimò dulci eius inficiantur odore. Hic semper floreat & nunquam marcescat.

PARADISVS.

Ita vouet

Deuinctissimus Cliens

Idem qui supra.

PARADISUS
SEV
SACRAMENTA IN GENERE.




ACRAMENTVM est rei Sacræ seu Gratiæ Signum sensibile. In hoc tam nouæ quàm veteris legis Sacramenta conueniunt vniuocè. Veteris legis plurima erant, legis Gratiæ tantùm septem; Cuius numeri optimam congruentiam assignat Angelicus Doctor; constantq; ex rebus sensibilibus determinatis tanquàm materiâ, verbis autem vt formâ. quod si ita res vel verba transmutentur, vt in prioribus non remaneat eadem species, in posterioribus idem sensus, non conficitur Sacramentum. Sacramenta sunt necessaria ad humanam salutem, non ante, sed post peccatum. In pluribus inter Sacramenta legis Gratiæ, & legis Veteris est discrimen: præcipuum est, quod illa non solùm vt causæ sine quibus non, sed ex opere Operato, id est, tanquam Physica instrumenta, ex Dei eleuatione per motionem quandam supernaturalem transeuntem assumpta, producant immediatè gratiam; in non ponentibus obicem; hæc autem infirma & egena Elementa erant, solùm promittentia non causantia, quod significabant. Vnde qui illa his comparata, nec vtiliora, nec efficaciora assereret, procul dubiò ad minùs temerarius foret. Ex Sacramentis nouæ legis, licet quodlibet determinatè suam gratiam causet, non omnia primam (nisi per accidens) sed aliquibus augmentum gratiæ tanquam effectus per se correspondet: vnde etiam alia mortuorum, alia viuorum Sacramenta nominantur: Suntq; ex illis, quæ præter gratiam, Characterem tanquàm effectum secundarium imprimunt; quem non habitum, sed potentiam vel actiuam, vel receptiuam esse tuemur. In Intellectu proximè & immediatè subiectatur. Horum effectuum DEVS est causa Physica principalis, vt habens potestatem authoritatis; humanitas Christi instrumentum coniunctum, & vt possidens potestatem Excellentiæ. Minister Sacramentorum Nouæ legis Ordinarius est solus Homo Viator: in quo ad perfectionem essentialem Sacramentorum, requiritur intentio, ad minùs virtualis faciendi, quod facit Ecclesia, vel quod fecit Christus; habitualis non sufficit. Quapropter à valida plurium Sacramentorum ministratione (licet illicita sit) infideles & peccatores non secernimus; si adhibeant omnia ad illorum valorem requisita.

LIGNVM VITÆ
SEV
BAPTISMVS.

RIMUM Nouæ legis Sacramentum necesſitate cæteris antecellens eſt Baptiſmus. Ideò primum, quia aliorum ianua. Diuiditur in Baptiſmum Flaminis, Fluminis, & Sanguinis. Prior & poſterior hoc nomine inſigniuntur, eò quod in neceſsitate Baptiſmi Fluminis vices ſuppleant, ille in Contritione perfecta, hic in martyrio conſiſtit. Baptiſmus ſanguinis ſeu martyrium gratiam ex opere operato etiam adultis confert. Baptiſmus Fluminis eſt ablutio corporis exterior, facta ſub præſcripta verborum forma, materia eius remota aqua naturalis, non alius aqueus liquor, vel ex herbis expreſſus, vel arte chymica extractus. Materia proxima eſt ablutio humano modo peracta. Forma *Ego te Baptizo, &c.* & ſub explicita trium Perſonarum inuocatione, neceſſe eſt fiat: ita vt Baptiſmum in Nomine TRINITATIS aut CHRISTI hiſce temporibus validum aſſeuerans, communi Doctorum torrenti ſeſe opponeret. Miniſter ſolennitatis Ordinarius eſt Parochus; cui cum poteſtate Ordinis, etiam illa Iuriſdictionis competit. Extraordinarius Sacerdos, vel Diaconus ex Commiſsione: Neceſsitatis Miniſter quilibet homo, dùmmodo ſit capax abluendi, cum intentione faciendi quod CHRISTVS inſtituit, aut vera facit Eccleſia. Nemo poteſt ſeipſum Baptizare, nec à pluribus ſimul abluentibus & dicentibus: *Nos te Baptizamus*, Baptiſmus collatus alicui validus eſt. Non licet, publica etiam authoritate Principis vel Communitatis, baptizare, inuitis parentibus; pueros infidelium, qui politicè tantùm, & ciuiliter, ſubſunt Eccleſiæ ſeu Principibus Chriſtianis. Filii autem ſeruorum ſeu mancipiorum infidelium, inuitis Parentibus baptizari poſſunt. Nullum abſque Baptiſmo in re vel voto ſuſceptum, ſaluari poſſe fides Catholica docet. Baptiſmus fictè ſuſceptus reuiuiſcit, & recedente fictione ſuum ex opere operato producit effectum. Effectus ipſius primarius eſt gratia regenerans, remittens, tam Originale quàm perſonalia ante Baptiſmum commiſſa, & ſimul cum culpa omnem pœnam: quantitatem gratiæ in paruulis, ex libera DEI voluntate: in adultis ad menſuram diſpoſitionis arbitramur. Secundarius Effectus character.

LIGNVM VITAM ROBORANS
SEV
CONFIRMATIO.

BAPTI-



Aptismo Confirmatio ſuccedit, in Baptiſmo enim generamur ad vitam: In Confirmatione roboramur ad pugnam, verè rationem Sacramenti obtinet, immediatè à Christo tam quoad materiam quàm quoad Formam inſtituti: Illa in Chriſmate vnctioneque Baptizati conſiſtit: hæc in verbis *Conſigno te Signo Crucis &c.* Chriſma eſt Oleum oliuarum ab Epiſcopo conſecratum Balſamo mixtum, quam mixtionem eſſe non ſolùm de neceſsitate præcepti, ſed etiam de neceſsitate Sacramenti manifeſtè ex Diuo Thoma colligimus. Simplex Sacerdos poteſt eſſe huius Sacramenti miniſter, non tamen Chriſma valet conſecrare: præcipuus Confirmationis effectus, eſt gratia corroboratiua, ad publicè fidem profitendam, minùs principalis Character, qui Baptiſmalem neceſſariò ſupponit. Pueris ante vſum rationis validè, non conuenienter confertur hoc Sacramentum. Ex naturâ ſuâ gratiam in ſubiecto requirit, per accidens poteſt ſufficere attritio, in caſu hîc à D. Thoma expreſſo. Nullâ lege quis ad Confirmationem obligatur; vnde citra contemptum non Confirmari, peccatum non eſt.

LIGNVM VITAM NVTRIENS
SEV
EVCHARISTIA.



Vcharistia quò aliis Sacramentis præſtantior eò vſu eſt ſingularior; pārs enim eſſentialis eius, non eſt vſus materiæ; ſed tàm quâ Sacramentum, quàm quâ Sacrificium, admirabili materiæ tranſubſtantiatione, conficitur. Supponit vt Sacramentum, non pro Corpore Chriſti, conſecratione, aut ſumptione; ſed pro ſpeciebus conſecratis in recto. Cum materiali multiplicatione, vnum formaliter eſt. Neceſſarium neceſsitate medij in voto, tàm paruulis, quàm adultis, his etiam neceſsitate præcepti, tàm Diuini quàm humani neceſſarium. Materia huius Sacramenti eſt panis naturalis, & vinum de vite, quorum conſecrationem ſimul iungendam Ius Diuinum præcipit, requiritur amborum præſentia, neque vt minor ſit quantitas eâ, in qua panis & vini ſubſtantia conſeruari poteſt. Panis naturalis (inquam) qui ex farina triticea & aqua naturali igne decoctis conſtare debet, ita vt ſit panis idoneus ad eſum, vel Cibus vſualis eſſe iudicetur, ſit Azymus vel fermentatus: peccaret tamen Sacerdos Latinus in fermentato, Græcus in Azymo celebrans. Vinum ex vuis expreſſum non agreſte, aut quomodocunque artificiale alia partialis materia, cui ex Eccleſiæ præcepto parum aquæ miſcendum, ita vt

in vinum transeat: nam alias esset consecrationis incapax. Forma Corporis necessitate Sacramenti est hæc. HOC EST CORPVS MEVM. Forma Sanguinis HIC EST CALIX SANGVINIS MEI &c. omniaque verba, quæ in Consecratione Calicis proferuntur esse de Substantia Formæ cum Diuo THOMA Doctore Angelico affirmamus. Vtraque forma ad Admirabilem illam totius Substantiæ Panis & Vini, in verum Corpus verumque Sanguinem CHRISTI conuersionem ritè à Patribus transubstantiationem vocatam concurrit; Substantiâ Panis & Vini nullatenùs remanente, persistentibus independenter à substantiali subiecto supernaturaliter accidentibus Eucharisticis. quæ tamen in Quantitate subiectantur. De modo Ineffabili existendi CHRISTI sub speciebus discurrant peritiores exactius, nos totum CHRISTUM sub vtraque specie latere toto corde confitemur, totum, in toto, & totum in qualibet parte, ad diuisionem vel corruptionem specierum, indiuisum & incorruptum, quantitatiuè quidem existentem, non extensiuè in ordine ad locum, sed tantum modò in ordine ad se, & per modum substantiæ: ab oculo corporeo non supposita eleuatione inuisibilis est. Aliud in hoc Sacramento ex vi Sacramenti, aliud ex naturali concomitantia continetur: Ex vi Sacramenti sub speciebus panis solum Corpus, sub speciebus vini solus Sanguis occultatur; vtrobique ex vi immediatæ concomitantiæ Corpus, Sanguis, & Anima; ratione verò mediatæ concomitantiæ verbum & Diuinitas, ratione etiam huius Pater & Spiritus Sanctus, specialiori tamen modo in Eucharistia, quàm in alijs rebus existunt. Minister Eucharistiæ conficiens, solus Sacerdos, cui est necessaria intentio, ad determinatam materiam directa: dispensans ex commissione potest esse Diaconus; recipiens quilibet homo, viuēs, baptizat⁹, & vsu rationis pollēs: Innumeros hoc Sacramētum sumētibus parit effectus: Inprimis gratiam auget, minuit concupiscentiam, moderatur peccati fomitem; excitat insuper in appetitu sensitiuo salutares ad virtutum operationes motus, & ex opere operato medio Charitatis feruore peccata venialia remittit, & à mortalibus præseruat. Denique excellens quoddam robur ad perseuerandum tribuit, & actualiter attendenti, miram quandam animi dulcedinem conciliat. Eucharistia & rationem Sacramenti, & simul Sacrificij habet; Sacramenti quidem inquantùm sumitur; Sacrificij autem inquantum offertur: nam eadem formaliter hostia, quæ modo cruento Deo Patri fuit in Cruce oblata, modo Incruento oblata fuit in Cæna, & offertur in Altari sub speciebus Panis & Vini; Offerens principalis est CHRISTVS, Instrumentalis Sacerdos qui suo interuentu, huius actionis Theandricæ infinitatem moralem limitare non potest; Infinitatem non quantùm ad efficaciam, sed quantùm ad sufficientiam. Æqualiter, quoad fructum Impetratorium & satisfactorium, pro vno ac pro millibus in particulari oblatum prodest; non propterea omni Sacerdoti, vnico Sacrificio

pluribus



pluribus ſtipendijs ſatisfacere licitum credendum; ſed eos meritò ad reſtitutionem ab VRBANO Octauo Die 25. Iunij. 1625. conſequenter & ſuis ſucceſſoribus, obligari, ſciendum.

LIGNVM VITAM RESTITVENS
SEV
PÆNITENTIA.



ÆNITENTIA tum virtus tum Sacramentum; vt virtus, eſt qualitas infuſa ab alijs virtutibus diſtincta, propriæ Iuſtitiæ ſupplementum, hâc odio habemus peccatum, vt ius Diuinum violans, & ipſa voluntatem ad commiſſa peccata plangenda, & læſum ius dolendo reſarciendum perfectè inclinat. Eius formale obiectum eſt offenſa Dei vt expianda. Pænitentia vt Sacramentum, immediatè à CHRISTO inſtitutum conſiſtit in aliquibus Pænitentis actibus, ſub præſcripta verborum forma; rectè ſecunda poſt naufragium tabula dicitur, naufragis neceſsitate medij in re vel in voto neceſſaria. Materia Pænitentiæ remota, libera vna, neceſſaria altera, libera quidem, peccata venialia; & mortalia aliàs Confeſſa; neceſſaria, mortalia: proxima materia, Contritio, Confeſsio, & ſatisfactio. Forma eſſentialiter in his verbis *Abſoluo te* per modum Iudicij, non deprecationis, ſita eſt. Quantùm ex ſe habet efficaciam ad effectum Sacramenti communicandum. Miniſter ſolus Sacerdos poteſtate & ſcientiâ præditus: Poteſtatem in Ordinis & Iuriſdictionis partimur ambæ in miniſtro indiſpenſabiliter requiſitæ; & poſterior eſt omninò diſtincta à priori. Contritio eſt Eſſentialis Sacramenti pars, conſiſtit eſſentialiter in dolore de peccato, vt eſt offenſa Dei, & præſuppoſitiuè tantùm in odio ſeu deteſtatione ipſius. Diuiditur in perfectam & imperfectam, quæ alio nomine attritio vocatur: Contritio eſt dolor de peccatis propter Deum ſummè dilectum, cum intentione confitendi & ſatisfaciendi. Attritio eſt dolor de peccatis ex alio motiuo quàm Charitatis, id eſt ex aliquo motiuo honeſto quod non ſit ipſe Deus, quatenùs in ſeipſo eſt Summum Bonum à quo peccatum mortale auertit. Huiuſmodi verò Attritio duplex eſt: vna oritur ex metu gehennæ & aliarum pænarum, altera ex peccati fæditate. Attritio ex metu gehennæ eſt actus bonus & laudabilis, ac vtilis ad ſalutem, eſtque diſpoſitio ſufficiens ad Iuſtificationis gratiam in Sacramento Pænitentiæ obtinendam. Ad huius Sacramenti Effectum requiritur attritio ſupernaturalis vera & non ſufficit apparens ſeu exiſtimata, nec ſufficit naturalis, quæ ſupernaturalis exiſtimetur; debetque eſſe vniuerſalis circa peccata mortalia commiſſa, non tamen eſt neceſſe vt ſit vniuerſalis circa venialia;

debet neceſſariò præcedere abſolutionem, non tamen Confeſsionem: ſpeciali præcepto tenentur omnes qui ſunt in mortali peccato actum Contritionis elicere; in lege tamen noua ſufficit attritio cum Sacramento; neque ſtatim ac peccatum commiſſum eſt, neque ſtatim ac occurrit memoriæ commiſſum, tenetur homo actum contritionis elicere. Confeſsio Eſſentialis pars Sacramenti definitur: Latentis morbi ſpiritualis manifeſtatio cum ſpe veniæ. Iure Diuino & Humano eſt obligans omnes qui per Baptiſmum regenerati lethaliter deliquerunt: Conditiones eius ſunt veritas, & integritas; Tunc vera eſt Confeſsio quando certa vt certa, dubia vt dubia confitemur; Integra verò quando numerum, & ſpeciem, peccatorum, eorumque circumſtantias, naturam actus mutantes, aperimus. Quando Pænitens aliter ſuum peccatum explicare non poteſt quam perſonam complicis reuelando, poteſt imò & tenetur ob Integritatem ſuæ Confeſsionis Perſonam complicis indirectè manifeſtare, ſi non timeatur periculum infamiæ. Confeſſarius verò tam ſtrictam Sigilli Confeſsionis obligationem habet, vt nè quidem in periculo boni Communis, aut in quantacunque neceſsitate liceat ipſi illud violare. Inter materiales Sacramenti Pænitentiæ partes eſt ſatisfactio, Pars ſolùmmodo Integralis, in Commiſsione ſatisfactionis opus prudentiâ, non ſit excedens, nec diminuta, ſed proportionata culpæ & Perſonæ: non ſatisfacere Pænitentiæ iniunctæ cum medicinalis ſit, grauè peccatum eſt. Pænitentiæ Effectus eſt gratia peccatorum poſt Baptiſmum Conmiſſorum remiſsiua.

LIGNVM VITAM IN INFIRMITATE IVVANS
SEV
EXTREMA VNCTIO.

SAcramentvm hoc vnum numero, quàmuis ex quinq; vnctionibus coaleſcat integraliter, in vna nihilominùs Eſſentialialiter conſiſtit; à cæterorum Inſtitutore, etiam ſuam habere inſtitutionem Concilia prædicant: Cuius materia remota Oleum oliuarum ab Epiſcopo conſecratum. Forma, *Per iſtam Vnctionem &c.* modo deprecatiuo prolata. Miniſter ſolus Præsbyter; Subiectum agonizans peccati capax: Effectus primarius, gratia remiſsiua reliquiarum peccatorum, reſtituens hominem priſtino vigori, ad actus vitæ commodè excercendos; Diſpoſitio ſubiecti ad dignè ſuſcipiendum, eſt Contritio vel attritio contritio exiſtimata: in vna & eadem infirmitate non iterãdum, benè tamen in diuerſis, ſeu in diſtinctis ſtatibus infirmitatis: ſola enim Sacramenta Characterem imprimentia initerabilia ſunt.

LIGNVM

LIGNVM VITAM AD DEI CVLTVM ORDINANS.

SEV

ORDO.




RDO per quem ſpiritualis poteſtas confertur Ordinato; Sacramentum eſt ad bonum vniuerſi regimen, à rerum omnium prouidentiſsimo Prouiſore deſtinatum. Septem tantùm ſunt Ordines; vnicuique propria materia, & forma, ſpecialia munia, propriusque character attributus. Singulis item Sacramenti ratio & natura communis: vnum tamen Sacramentum conficiunt. Materia remota eſt res quæ in ordinatione traditur, proxima eius traditio & acceptatio, & non interueniente reali contactu ad Sacramentum non ſufficit. Miniſter ſolus Epiſcopus; poteſt tamen ex Summi Pontificis licentia minores, ſecùs verò maiores ordines conferre quilibet Sacerdos. Suſcipiens, maſculus, adultus: infantes validè, non licitè, ordinantur. Conditiones neceſſariæ ſunt, imprimis Intentio, deinde, Diſpoſitio quæ ad Sacramentum viuorum recipiendum requiritur. Prima Tonſura diſpoſitio ad ordines. Epiſcopatûs eſt Præsbyteratûs perfectio.

LIGNVM GERMINANS

SEV

MATRIMONIVM.



ATRIMONIVM magnum Sacramentum, vt naturalis contractus, & vt Sacramentum legis Gratiæ conſiderari poteſt; ſub hac conſideratione definitur: Quod ſit coniunctio Sacramentalis viri & fæminæ, vt inter legitimas perſonas indiuiduam vitæ Societatē retinens: Corpora cōtrahentiū materia eius remota, conſenſus mutui verbis vel ſignis expreſsi, prout ſunt traditio, materia proxima: prout vtrinq; acceptatio, forma: Contrahentes, Miniſter & ſubiectum quod in hoc Sacramento peculiare eſt. Parochus teſtis qualificatus, quo non præſente poſt Concilium Tridentinum, in locis vbi receptum eſt, irritum eſt Matrimonium, Eccleſia non inualidante Sacramentum, ſed annulante contractum ſuper quem Poteſtatem habet.

PLantatori Huius Paradisi IESV CHRISTO Domino Nostro Laus sit ab omni Creatura. Diuo THOMÆ Aquinati Doctori Angelico eius Irrigatori ab omnibus Scholasticis Grates.



Propulsabit sæuos ab hoc Paradiso Aquilones idem qui supra. Fauente sibi Gratioso Fauonio A. R. P. Sacræ Theol. Præsentato Patre IUSTO SŁOWIKOWSKI, *Studij Generalis Cracouiensis Ordinario Baccalaureo. Cracouiæ ad Ædes Sanctissimæ* TRINITATIS *Ordinis Prædicatorum.*

Die Mense Anno vt supra. Horis pomeridianis.